DISSERTATIO

THEOLOGICO-DOGMATICA

De Præadamitis,

Ad Quæst: 67. 68. 1. p Summæ S. Thomæ Aquinatis, Ecclesiæ Doctoris.

In gratiam Theologiæ Candidatorum.

Annô Domini 1770.

CRACOVIÆ.

Typis Collegii Majoris Universitatis Cracoviensis.

Concilium Tridentinum Seſs: 4ta.

Ad còércénda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorqueat, aut contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat.

Vincentius Lirinen: apud Melchiorem Canum Lib: 7. cap: 3tio.

Sacrarum literarum interpres ſemper in priores ſpectet, à quibus Verbum Dei proceſſit in poſteros, hujus enim rei Apoſtolus Corinthios monet, inquiens: *An à vobis verbum Dei proceſsit?* - Ne ſenſum ſuum tenaci contentione defendat, ſed priùs reliquos Eccleſiæ Doctores conſulat, ut ſi viderit omnibus id probari quod ſentit, tutò jam teneat: ſin reprobari, tutò jam deſerat.

ISaac Peyrerius Burdigalæ in Aquitania natus, professione Medicus, cùm adhuc Calvini erroribûs detineretur, indulgens fallaci mortalium hominum ingenio, nec non Sectariorum consvetudini, Patrum & Conciliorum auctoritatem contemnentium, malè feriatam Præadamitarum fabulam vel confinxit, vel suscitavit, duobûs in eum finem scriptîs in lucem editîs. Primô quidem de Anno 1652. sub titulo *Praadamitæ*, sive exercitatio super *ver*: 12. 13. *&* 14. *cap*: 5. Epistolæ D. Pauli ad Romanos, altero verò *Systema Theologicum ex Praadamitarum Hypothesi* Annô millesimô sexcentesimô quinquagesimô quintô, in quibus Judæos originem ab Adamo sortitos *Adamitas*, Gentiles verò *Praadamitas* adpellat, quorum originem longè Adamum præcessisse statuit. Sed cùm vidisset ejusmodi commentum primi Geneseos capitis verbis non solùm non cohærere, verùm etiam validissimè confutari, commentus est. I. Deum, primo sex dierum creationis à Moyse descriptorum, creâsse hominem marem & fæminam, hoc est; ùt ille explicat, Deum creâsse hominem eodem die in omnibus partibus Mundi, prout terra uno eodemq; die ubiq; produxit arbores, fructus & animalia. II. Longô pòst intervallô Deum formâsse Adamum primum homi-

 nem

nem sui populi particularis, qui fuit postea adpellatus populus Judæorum. III. Formationem Adami de terra, quæ describitur *2do Genes: cap:* diversam esse à creatione hominis, de qua loquitur Moyses *cap: 1mo.* IV. Gentiles seu omnes alios à Judæis homines contrà distinctos, fuisse homines primæ creationis, Judæos autem, qui ab Adamo trahunt originem, alterius creationis. V. non fuisse intentionem Moysis texere Historiam Mundi, sed solùm populi Judaici, ac propterea modicum quid innuisse de prima hominum creatione. VI. Diluvium non fuisse universale super terram, sed solùm in Judæa contigisse. VII. Non omnes homines post diluvium à Nóè, ejusq; tribus Filiis, Sem, Cham, & Japhet descendisse. VIII. Gentilibus, quamvis in omnia vitia dissoluti fuerint, non imputatum fuisse peccatum, siquidem à Deo Legem non acceperint, actiones ergo eorum fuisse malas, sed non peccaminosas. IX. Gentiles morti obnoxios fuisse, non in pænam peccati; sed quòd corpus obnoxium corruptioni haberent. X. Secundam creationem Adami contigisse, ut esset Caput & primus Patriarcha Judæorum, quibus se Deus primò manifestaturum, tandem successu temporum Gentilibus appromisit, ut ex utroq; populo fieret una Ecclesia.

Ad novi hujus & inexpectati Systematis aspectum subitò plures Viri eruditi ad illud refutandum, animum adjecerunt, inter quos omnium primus ex Catholicis, Episcopus Namurcensis in Festo Natalis Domini ejusdem anni, Peyrerii figmentum proscripsit.

Idem

Idem fecerunt ex Diſſidentibus à Religione Catholica Joannes Danhavverus Profeſſor Strasburgenſis ſub titulo: *Fabula primorum hominum ante Adamum conditorum*. Henricus Urſinus ſub titulo: *Novus Prometheus Praadámitarum Plaſtes, ad Caucaſum relegatus & religatus*. Samuel de Marêts Profeſſor Groningenſis ſub titulo: *Refutatio Fabulæ Præadamitarum*. Joannes Hilpertus Profeſſor Helmſtadienſis, ſub titulo: *Diſquiſitio Fabulæ Præadamiticæ:* & ſub altero: *Non Ens Præadamiticum*. Joannes Pythius J. C. ſub titulo: *Reſponſio Exetaſtica ad tractatum in librum Præadamitarum*, & multi alii.

Præfocatum eſt ergo Peyrerii Præadamiticum Syſtema in primo ſui ortu, imò & ipſe Peyrerius à ſuæ Sectæ Authoribus permaximè traditione oppugnatus, quum ipſi traditiones Eccleſiæ obduratô animô retractent, nefas ſibi eſſe adverſùs traditam à Majoribus doctrinam ſentire convictus, atq; ita providam occaſionem admonente Hieronymo Epiſt: 59 ad Pamach: *errare hominum eſt, confiteri errorem prudentis*. Cicerone Orat: Philip: 12. *Cujusvis hominis eſt errare, nullius autem niſi inſipientis in errore perſeverare*, nactus, à Proteſtantibus defecit, & ejuratîs Calvini erroribûs Orthodoxam Catholicam Fidem coram Alexandro VII. Romano Pontifice amplexus eſt. Extat ejusdem Peyrerii Epiſtola ad *Philotimum* Romæ Annô milleſimô ſexcenteſimô quinquageſimô ſextô impresſa, in qua exponit rationes, propter quas ejuraverit Sectam Calvini, quam profitebatur, & librum de Præadamitis, quem ediderat,

Simulatam tamen fuisse ejusmodi ejurationem notat Morerûs *Diction: Magno Histor*: etenim ex Italia redux, errorem suum contrarium traditioni perpetuæ agnovit, non fuisse tamen Sacris Litteris contrarium, nec ex iis posse convinci, audacter asserebat. Hinc cùm annô millesimô sexcentesimô septuagesimô septimô, octuagenarius extremum diem clausisset; Joannes Fabricius tale ipsi scripsit Epitaphium.

La Peyrér ici gît, ce bon Israëlite,
Huguenot, Catholique, en fin Préadamite.
Quatre Religions lui plûrent à la fois,
E son indifférence étoit si peu commune,
Qu' aprés quatre vints ans, qu' il eut à faire un choix,
Le bon homme partit, & n' en choisit pas une.

Hoc est. *Hìc jacet Peyrerius bonus Israëlita.*
Hugonottus, Catholicus, demum Præadamita.
Quatuor Religiones unà illi arrisêre,
Animô tamen, quod rarum est, in ullam propendebat.
Cùmque seligere unam annos octogenos natus deberet.
Nullâ electâ magno natu obiit.

Sunt, qui Præadamitarum Fabulam Peyreriô antiquiorem esse non dubitant; *legimus enim in libro Cosai, quem scriptum ferunt à Rege quodam Cosar, spectata olim apud Indos ædificia 100000. Annorum vetustatem referentia. Sermo ibi pariter de vetustis quibusdam libris, in quibus mentio erat Iambuzar, Zagrit, & Roani, qui Adami ætatem præcesserunt. Iambuzar Præceptor erat Adami. Asserit R. Abrar Virum quendam Giafar Turcarum Imanum, vitam agentem circa Annum septingentesimum*

tesimum septuagesimum Praadamitam fuisse; *contendebat enim tres Adamos pracessisse illum: de quo Moyses; expectare adhuc venturos septem, quòd totidem etiam revolutiones Mundo superventura essent, quarum singulas consecuturum esse novum hominum genus creatum ad imitationem Adami illius, ejusq; posterorum, quorum novimus Historiam* Calmet comment: litter: in Genes: cap: 2. *Imò qui æternum esse mundum, & pluries innovatum putârunt, plurium hominum generationes ante Adamum enumerâsse, quæ fuit quorundam inter veteres sententia.* Idem Calmet. Dictionar: Historico Critico S. Script: verb: *Præadamitæ.*

Quisquis tandem fuerit Præadamitarum Fabulæ nugivendus inventor, nihil ista moror, Peyrerii hypothesim ab omnibus (ùt ille in sua ad Alexandrum VII. PP. deprecatione confessus est) ejectam & eliminatam, à multis CC. Viris suppressam novi, sed *cùm illam nonnulli postea recoquere ausi fuerunt*, inquit Laurentius Berti *de Theolog: Discipl: lib: 12. cap: 1.* Dissertationem præsentem, quam calamo Auditorum meorum describendam, tradere debueram, illorum, & aliorum, qui copiâ librorum apud Nostrates laborant, commodo, utilitati atq; incremento studiorum, prospicere ex animo desiderans, Typis imprimendam censui: memor quæ Augustinus in lib: de quæst: q. 3. ad Dulcitium scripsit: *Ut discamus, invitare nos debet suavitas veritatis, ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis.*

Fateor ingenuè, quod in subjecta materia Alexandrum Natalem è Familia Ordinis Prædicatorum

Præ-

præſtantiſſimum Sorbonicum Doctorem, præter alios, facem mihi præferentem, ſequor, ne autem quispiam me plagii accuſare aut arguere auſit, meminerit illud eruditiſſimi Spondani, Gallicani Cleri ſplendoris & ornamenti præclarè dictum, in Epiſt: ad Lector: ſuorum Annal: Sacror: *quæ excerpſimus, ex libris publicis habuimus, quæ publica ſunt, nullius ſunt, ſed fiunt occupantium. Nec ad aliud, qui pecuniam ſpargit in vulgus, id agit, quàm ut fiat arripientis.* Hôc ſcutô præmonitus, ſive ex aliorum ſcriptis quidquam excerpſerim, ſive de exiguo ingenii mei penu addiderim, ut methodicè procedam, duo mihi probanda aſſumpſi. Primum. *ante Adamum nullos homines extitiſſe.* Alterum. *Omnes ab Adamo originem ſuam traxiſſe.* Quod ſi evicero, conſarcinata Præadamitarum Fabula, atq; leviſſima ejus momenta evaneſcent.

Quidam celebris Theologus adductîs ex *Geneſ: cap:* 1. verbîs illîs: *in principio creavit Deus Cœlum & terram.* hoc eſt: *in principio univerſitatis rerum ſeu temporis*, ùt Baſilius & Ambroſius Homil: 1: Hexam: *ante omnia alia creata*, ùt exponit Auguſtinus Libr: 1. de Gen: ad litt: uno hoc ictu ſe Peyrerii Syſtema confeciſſe ratus, quaſi jamjam elumbato, & jacenti inſultat, *quinam ergo iſti Præadamitæ erant? ſi nullus antea Deo Authore prodierat. In qua Orbîs plaga habitârunt? ſi anteactis ſæculîs nec Cælum erat, neq; terra, neq; locus alius corporeus.* At ego non ſatìs illi exploratam fuiſſe Peyrerii mentem crediderim. Peyrerius enim Cœlum & terram ac omnia, quæ in eis ſunt, imò

& ipſum

& ipsum Praeadamitarum Parentem à Deo conditum fuisse minimè diffitetur, in hoc tantùm à communi Ecclesiæ sensu discessit, quòd hominem, cujus creationem Moyses *cap: Gene:* 1. descripsit, alium ab Adamo, cujus formationem *cap:* 2. enarrat, confinxerit, atq; illum Gentilium, Adamum Judæorum Protoparentem commentus est. Quod quàm falsum sit, videamus!

Atque imprimis non inficiamur, quòd Moyses universi Orbis creationem *cap:* 1. recensens obiter & defunctoriè, certum aliquem hominem à Deo conditum fuisse meminit, *cap:* autem 2. Adami & Hevæ formationem prolixiùs atq; distinctiùs enuntiat, modumq; formationis minutim recenset. Verùm si rem penitiús examinemus, non novam alterius hominis ab eo, de quo *cap:* 1. fuit sermo. *cap:* 2. creationem narrari, sed creationis *cap:* 1. memoratæ recapitulationem & repetitionem contineri, advertemus. Colligitur id *ex ver:* 4. *ejusdem* 2di *cap*: ubi Moyses creationem Cæli & terræ plantarumq; omnium, de quibus dixerat *cap:* 1. denuò repetit: *Istæ sunt* (inquit) *generationes Cæli & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus Cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemq herbam regionis, priusquam germinaret.* Si igitur non alii Cæli, non alia terra, non aliæ plantæ 2do *cap:* memorantur, quàm quæ *cap:* 1. descriptæ sunt, ita alius homo non est, cujus eo capite meminit, cùm ait: *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, &*

inspiravit

inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem, sed idem ipse, cujus creationem *cap*: 1. narravit, atque ejusdem creationis mentionem *cap*: 2. repetiit. Hinc est, quòd Baptista Du-Hamel Bibliorum Sacrorum vulgatæ editionis capiti 2do *Genes*: hunc titulum præfixit: *Hoc capite eorum, quæ facta sunt die tertio & sexto, repetitio quædam, sed uberior continetur.*

Idem colligitur ex 5. *Genes*: *cap*: ubi pariter Moyses recolens ea, quæ de condito homine obiter 1. *cap*: innuerat, Adamum illum appellat: *hic est liber generationis Adam, in die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem fecit illum, masculum & fœminam creavit eos* (quæ ipsamet *cap*: 1. fuerunt verba) *& benedixit illis, & vocavit nomen eorum Adam in die, quo creati sunt.* Hic igitur qui prima die creatus fuit homo, Adamus est, cujus formationem 2do *cap*: prolixiùs descripsit Moyses.

Quodsi ed ea, quæ *cap*: 2. & 4. legimus, seriò animadvertamus, falsitas Systematis Præadamitici facilè dignoscitur, Et *primò* quidem Adami formationem Moyses narraturus, ita præfatur, *homo non erat, qui operaretur terram.* Quomodo itaq; veritas sacri hujus textus subsistet, si ante creationem Adami Præadamitæ extiterant, illi quippe procul dubio terram excoluissent, ut sibi vitæ necessaria & commoda comparâssent atque collegissent. 2do. refert Moyses Adamum universis animalibus sua nomina imposuisse: *formatîs igitur Dominus Deus de humo cunctîs animanti-*

bûs

bûs terræ, & universîs volatilibûs Cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Jam si Præadamitæ priores ante Adamum extitissent, certò certiùs nomina animalibus imposuissent; cùm & ipsi ingeniô, ratione, atq; loquendi facultate non minùs, quàm Adæ posteri valuissent, atq; usi fuissent. 3*tio.* inventores artium non alios fuisse Moyses recenset, quàm Adæ posteros, scilicet Jubal Musices, Tubalcain artis fabrilis, *in cunctà opera æris & ferri,* sine quibus Præadamitæ civilem vitam vivere nequiissent. Quemadmodùm igitur ante Adamum & posteros ejus artes non erant, ita nec homines!

Viderint! quomodo ex libris Geneseos erroris convincuntur falsi Præadamitarum somniatores, & quantùm ex aliis Sacræ Scripturæ locis prosternuntur, videant! Etenim ultra quod *Gen: 3. Eva cunctorum Mater viventium* appellatur, unus idemq; homo totius generis humani caput, ex quo omnes originem trahunt, dicitur *Sapien: 10. qui primus formatus est à Deo Pater Orbis terrarum. Actor: 11.* legimus: *fecit Deus ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* Quod vulgata vertit simpliciter *ex uno,* in Authographo Græco legitur *ex uno sanguine.* Ergo ex uno homine, ex uno sanguine, ex uno stipite, ex uno capite propagatum est genus humanum, proindequé falsissimum est, alium fuisse Judæorum, alium Gentilium Protoparentem, quem Præadamitæ somniârunt.

Gravia hæc argumenta ſunt, nihil tamen magìs Præadamitarum Syſtema evertit, ac Eccleſiæ de originali peccato Fides, quam utraq; tam orientalis, quàm occidentalis Eccleſia profitetur. *Per unum hominem* (inquit Apoſt: ad Rom: 5.) *peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* & infra, *ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Quamobrem ſi fabuloſi illi Præadamitæ mortui ſunt, ex contaminato originali peccato Adami ſemine originem habuerunt. Aliàs, quo pacto originalis peccati culpam contraxerunt, & mortem ejus pænam ſubierunt, ſi non ex lumbis Adami, ſed ementiti alterius Gentilium Parentis deſcenderunt.

Peyrerius de peccato originali Fidem, inficiari non audens, imò errorem ſuum cum Eccleſiæ Dogmate conciliare ſtudens, reſpondet non eſſe neceſſe, ut omnes homines ab Adamo originem trahant, ad hoc, ut omnes in Adamo peccâſſe cenſeantur. Poteſt enim peccatum unius imputari alteri, quàmvis ab illo nullam ducat originem. Sic perjurium *Sedeciæ* Regis imputatum fuit *Ier*: 24. Judæis, & ob id captivi & vincti in Babylonem adducti ſunt. Peccatum etiam unius de populo, reatum in totum plerumq; populum inducit, ſic ob Sacrilegium *Achan*, qui in devaſtatione Jericho de anathemate uſurpaverat, totus Iſràél peccâſſe dictus eſt. *Ioſue* 7. Sic ob pecca-

tum

tum Gabaonitarum, qui Levitæ concubinam ad mortem usq; oppresserant, tota ferè Tribus Beniamin extincta deletaq; est. *Iudic. 19.* Fieri ergo poterat, ut omnes homines in Adam peccâsse censerentur, ob aliquam cum illo vel communionem, vel societatem sive mysticam sive civilem, quàmvis non omnes originem carnalem ab eo duxerint.

Hanc tamen suam Præadamitæ fabulam cum Dogmate Fidei nequaquam conciliant; non enim homines sola peccati Adæ imputatione peccatores constituuntur. Siquidem *naturâ filii iræ* nascuntur, peccatumque originale carnali propagatione unicuique sit proprium, re ipsa animam inficiat, & suo reatu commaculet, non verò externa solùm imputatione, ùt docent Christiani Theologi. Concedamus ergo peccatum unius posse imputari alteri, morali quadam & externa imputatione, licèt unus ab altero minimè originem trahat, ùt in allatis exemplis patet, verùm repugnat, ut peccatum unius transfundatur in alium, ùti transfunditur originale, nisi ab eo per propagationem descendat. Unius peccatum alteri imputatum, ratione societatis mysticæ aut civilis, pænæ tantùm personalis perticipem eum facit, cui occultô quodam Dei Judicio imputatur, peccatum verò originale universum Genus humanum pænæ æternæ reum constituit, quam Theologi pænam damni & sensus appellant.

Alius quidam Recentior Systematis Præadamitici defensor, ut illud cum Fide Ecclesiæ de originali

peccatô cohærere oſtendat; reſpondet, omnes quidem homines originale peccatum ex Adamo contrahere, non quod omnes ex Adamo originem duxerint, ſed quòd nullus jam extat eorum, qui ex altero Protoparente ab Adamo diverſo, ſuam originem derivârit. Diluviô enim univerſalì abſorptîs omnibûs, ſola Nòé familia, quæ ab Adamo Judæorum Parente recta majorum ſerie deſcendebat, ſuperſtes remanſit.

At neq; hac via cum Præadamitarum Syſtemate Eccleſiæ Fides de originali peccato ſalvari poteſt. Fides enim docet, non modò qui vitam hodie agunt homines, & qui poſt univerſale diluvium ex Nòé familia propagati ſunt, ſed omnes, quotquot ab origine mundi quacunq; ætate vixerint, peccatores & mortales ſeu legi mortis ſubjectos fuiſſe juxta Apoſtolum: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit & per peccatum mors.* Sapientiæ quoq; effatum eſt: *Creavit Dominus hominem inexterminabilem - - invidiâ autem diaboli mors intravit in Orbem terrarum.* Ex his Scripturæ oraculis cùm Præadamitæ omnes à primo Gentilium Protoparente deſcendentes & peccatores & mortales concedere teneantur, neceſſe eſt, ut originali peccatô infectos fuiſſe fateantur, ſinſecus Fidem Eccleſiæ de peccato originali cum Syſtemate ſuo nunquam conciliant.

Reſpondet Peyrerius Præadamitas morti obnoxios fuiſſe, ipſumq; Adamum, antequam peccâſſet. Morti inquam *naturali* obnoxios, imò mortuos, cùm ex materia corruptibili & mortali compacti eſſent, non

verò

verò morti *legali*, cui addictus est Adamus & posteri ejus ob Divinæ Legis transgressionem.

Sed responsio hæc Pelagianam hæresim sapit, adversaturq; Apostolo docenti mortem in mundum non subintravisse nisi per unius hominis, id est Adami peccatum, mortemq; *peccati stipendium* appellanti. Repugnat etiam Sanctorum Patrum testimoniis. Unum adduco Augustinum Lib: 13. de Civit: Dei cap: 15. *Constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes Fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, qua nullam mortem homini Deus fecit, sed meritò esse inflictam peccati; quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus*; terra es, & in terram ibis.

Plures SS. PP. imò & Conciliorum ad explodendum Præadamiticum Systema authoritates non est opus, ut afferam; cùm ipse Peyrerius in laudata sua ad Alexandrum VII. deprecatione se à communi Ecclesiæ sensu recessisse agnoscit. *fateor* (inquit) *me non latuisse hypothesim, quæ mihi venit in mentem de primis hominibus ante Adamum conditis, diversam penitùs abiisse ab opinione Sanctorum Patrum, necnon aberravisse toto Orthodoxorum Conciliorum Canone, totamq; Doctrinæ Christianæ Fabricam de homine lapso & redempto fundatam fuisse à Patribus & Conciliis super hypothesi de Adamo primo omnium hominum formato.*

Ex his Catholicæ veritatis contra Præadamitarum errorem momentis, vix non ad oculum patet ante Adamum nullos homines extitisse, tantoq; magis con-

lectarium

ſectarium Doctrinæ orthodoxæ, omnes quotquot quacunq; mundi ætate fuerint, ab Adamo originem traxiſſe. Compertum enim eſt omnes Gentes à Nòémi poſteritate deſcendere, ùt ex priſcis ſingularum Hiſtoriis deducit Laurentius Berti *loc: cit:* Gentilium ergo antiquorum Imperia nonniſi poſt annum ab Adami creatione 1656. cæperunt. Et licèt apud eoſdem Gentiles, pro antiquitatis gloria Babylonii, Ægyptii, & Sinenſes multùm decertent, omnes tamen diluviô multò magis Adamo poſteriores habentur. Babylonici Imperii fundamenta jeciſſe Nembrodum legimus *Gene: cap: 10. Nembrod cæpit eſſe potens in terra - - fuit autem principium Regni ejus Babylon.* Unde Michææ cap: 5. tota Babylonis Regio *terra Nembrod* appellatur. Nembrod porro nonniſi Nòé Pronepos erat: Nòé quippe genuit Cham, Cham genuit Chus, Chus genuit Nembrod *Gen:* 10. *v.* 8. Ille ipſe eſt, quem profani Scriptores Belum appellant, cui etiam conditæ Babylonis gloriam tribuunt. Tametſi nonnulli per errorem gloriam illam Semiramidi vindicent, inde forte deluſi; quòd illa aggeres magnæ molis extruxerit, quibûs Euphratem coercuit, & Babylonem lateritiîs murîs cinxerit, juxta Ovidium: *Altam coctilibûs murîs cinxiſſe Semiramis Urbem.* Quamquam, etſi fundatæ Babylonis gloria Semiramidi danda eſſet, nihil id nobis officeret, cùm Semiramis Nembrodô ſive Belô poſterior fuerit.

Quod Ægyptios attinet, illi qui eorum Regni initia altiùs repetunt à Menos ſeu Meſtaino exordium

ducunt,

ducunt, ùt Diodorus Siculus, Herodotus, Eratostenes, Maneto, Julius, Africanus, Eusebius. At Mesraim nonnisì Nòé Nepos, & Chami Filius erat. *Gen: 10. v. 6.* qui à Phænicibus in Deorum numerum relatus est, & sub Saturni nomine sacros ab illis honores obtinuit.

Sinarum Imperii initia, quanquam sit difficillimum definire, de quibus nihil in Sacris litteris, nihil in priscis Historiis reperire est, propterea quòd illi alio sub sole positi à Scriptoribus sileantur, si quæ tamen Ludovico de Comitibus fides *tom: 2do Document: ad Histor: Sinic: pag: 137,* nonnisi à Filiis Nòé qui in Asiam Orientalem penetrârunt, ortum habuit Sinarum Imperium. Et hoc est, quod erat (ùt præfatus sum) demonstrandum.

Fundamenta, quibûs malè jactîs Systema suum Peyrerius superinstruxit, diruenda aggredior, ut eos, quorum causâ scribo præmoneam, non sufficere Theologo asserta sua probare, nisì probè sciat contraria argumenta, seclusîs per omnia cavillationibûs, diluere, *ut potens sit in doctrina sana eos qui contradicunt arguere* ad Tit: 1.

Primum ergo argumentum ducunt ex *Gen: cap: 4.* ubi Cain Adami primogenitus perpetratô fratricidiô, timore correptus, Deo minitanti respondit: *ecce eijcis me hodie à facie terræ; & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra, omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Quibus verbis nullus esset locus, si nulla tunc nisi Adami Familia toto orbe extitisse

suppo-

ſupponatur. Quos enim timuit Cain poſtquam fratricidium perpetravit, niſi Judices & leges, quibûs plectendus erat? Unde legitur fugiſſe ad orientalem plagam Eden, alii ergo tunc erant in mundo homines præter Adæ Familiam; ut quid enim *poſuit Deus Cain ſignum, ut non interficeret eum*, ſi vacuæ fuiſſent Orientales illæ, in quas aufugerat Regiones?

Verùm ſpecioſa hæc difficultas evaneſcit, ſi animadvertamus Abelem à Caino occiſum eſſe Annô à Mundi creatione centeſimô trigeſimô. Incredibile autem non eſt per tot Annos Genus humanum ad multa millia ex Adam ejuſqué Filiis ac Nepotibus propagatum fuiſſe, ut juſta de cauſa capiti ſuo timere potuerit impius fratricida. Porro Abelem à Caino occiſum fuiſſe Annô Domini centeſimô trigeſimô ex mutua duorum Sacræ Scripturæ locorum collatione liquet. Etenim *Gen*: 4. Seth tertius Adæ filius, poſitus fuiſſe pro Abel dicitur, Adamo ſcilicet & Evæ datus à Deo ad mitigandum dolorem, quem ex nece Abelis conceperat. *Cognovit quoq́ adhuc Adam uxorem ſuam, & peperit Filium vocavitq́ nomen ejus Seth*, dicens: *poſuit mihi Deus ſemen alıud pro Abel, quem occidit Cain. Cap*: verò 5. *v*. 3. legimus Seth genitum eſſe Annô centeſimô trigeſimô vitæ Adami *vixit autem Adam centum triginta Annis, & genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vocavitq́ nomen ejus Seth.* Si ergo tunc occiſus eſt Abel, quando natus eſt Seth, conſtat profectô Cainum Annô centeſimô trigeſimô Abelem occidiſſe. Cùm autem per tot Annorum

norum

norum decursum jam propagatum esset Genus humanum, mirari nemo debet Cainum sceleris horrore perculsum, capitis periculum timuisse, ab hominibus ex Adam Familia propagatis, ùt inquit S. Ambrosius *lib: 2. de Cain & Abel cap: 9. Potuit & Parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim & Parentes de Filio discere, quod didicerunt, posteri de Parente.* Hæc ergo causa est, cur in eo signum posuerit Deus, ne quis profugum parricidam impunè occideret. Dici etiam potest, ista verba *omnis, qui invenerit me, occidet me*, fuisse hominis timentis omnem creaturam sibi fore adversam, & possunt intelligi tam de homine, quàm de bestiis terræ, quæ etiam in impios sævierunt. Sic *Dan:* 6. *Viri illi qui accusaverunt Danielem, & in lacum leonum missi sunt, ipsi, & filii, & uxores eorum, & non pervenerunt usq; ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum contriverunt.* Sic 4. *Reg: 2.* illudentes Eliseo pueros, *egressi duo ursi de saltu laceraverunt ex eis quadraginta duos.* Consonat Hebraica versio: *quidquid inveniet me, occidet me.* ex quo intelliges, etsi nondum ab Adamo multiplicatum genus humanum fuisset, Cainum à bestiis terræ timere potuisse.

Urgent Præadamitæ. Flavius Josephus Apostolicorum temporum Scriptor Hebræus *lib: 1. antiquit: Iudaic: cap: 3.* scribit Cainum profugum ad orientalem plagam Eden non in meliùs vitam mutâsse, sed lectâ facinorosorum hominum manu, facultates dome-

ſticas] per vim ac rapinas accumulâſſe: *accitis undequaq; latrociniorum & nequitiæ ſociis, Magiſter illis ad facinoroſam vitam effectus eſt.* Quod ſanè de aliis hominibus, quàm de ipſiuſmet Filiis & Nepotibus intelligendum venit. Ad quid enim proprios Filios & Nepotes in mutuam perniciem armâſſet? in quos latrocinia exercere potuiſſet in illa orientali plaga Eden? ſi tantùm erat terræ vacuum, quantum profectò illi ponunt, qui Adamum, eiuſq; recens natos Filios duntaxat mundi hujus habitatores agnoſcunt.

Hoc etiam levidenſe momentum nequaquam probat alios, quàm Adami poſteros orientales illas plagas incoluiſſe. Conceſſerimus Cainum facinoroſorum hominum manum collegiſſe, illiſq; ad latrocinia & prædas magiſtrum egiſſe, reſtat tamen Præadamitis evincere, quòd latrones non ex Familia ſua, ſed aliunde adſciverit. Joſephus tempus, quô Cain latronum magiſtrum egit, non determinat, proinde cùm ille post occiſum Abelem octingentos & ampliùs Annos vitam produxerit, longo hoc intervallo propagatum fuiſſe humanum Genus, atq; ex illo facinoroſos homines adſcitos fuiſſe, quis non intelligat? Maximè eo tempore, quò ex Setho nati fuerunt Viri pii & religioſi. *Filii Dei* communiter dicti. Cùm enim ſecundùm communem Sanctorum Patrum opinionem Cain terrenæ Civitatis, id eſt eorum, qui ſecundùm carnem vivebant caput, Sethus verò eorum, qui ſecundùm Deum, propagator ab Adamo conſtitutus eſſet, harum Civitatum diſcretione facta, inter utriuſqué

usqué Cives dissensionem continuam, morum & studiorum disparitas excitavit. Potuit ergo Cain in Sethitarum fines excurrere & prædas agere, quod nempe jam essent cognatione remotissimi, imò jam nulla conjuncti: non enim est incredibile eum, qui fratrem occiderat, nepotes etiam aut pronepotes injuriîs lacessisse.

Alterum argumentum desumunt ex *Gen*: 4. *v*. 17. *& ædificavit Cain Civitatem, vocavitq; nomen ejus ex nomine Filii sui Henoch.* Quibûs itaq; Architectîs, quibûs fabrîs ædificare, quibus Civibûs implere eam potuit, si præter Paternam Familiam, quam deseruit, nulli in Orbe erant homines? Sed necesse non est alios, quàm ex Adamo progenitos homines comminisci, qui Civitatem illam ædificârunt. Observant enim Sacræ Chronologiæ periti, Civitatem à Caino positam esse Annô ab Orbe condito quingentesimô, quis autem dubitet quingentorum Annorum spatiô tantum multiplicari potuisse humanum Genus, ut esset, unde constitueretur non una, sed plurimæ Civitates. Quodsi enim ex uno Abraham quadringentîs Annîs Hebrææ gentis facta est tanta multiplicatio, ut in exitu ex Ægypto sexcenta & ampliùs hominum millia bellicæ juventutis fuisse referantur *Exod*: 12. idqué ex sola Jacobi linea propagatorum, demptîs mulieribûs, senibûs & puerîs, ac Levitarum viginti duobûs millíbûs ad tabernaculi ministerium, cur ex Adamo quingentîs annîs tantum multiplicatum fuisse Genus humanum negemus, ut ædificare & constituere Civitatem nequiverit?

 Quod

Quodsi quærant cur propagationis hujus & multiplicationis humani Generis nullibi Moyses meminit? imò potiùs paucissimos homines ex nomine usq; ad diluvii tempora appellat? Noverint id factum esse, non quòd reapse pauci essent, sed quòd suscepti ab eo muneris ratio id nequaquam postularet. Institutum enim Moysis erat, ut per certas generationes ab Adam ad Abraham perveniret, cui primò de Messia venturo promissio facta fuerat, satìs ergo illi erat eos Adami filios & nepotes enumerare, per quos rectæ genealogiæ successio ducta est; cæterìs silentiô prætermisśìs, è quibus lineæ transversales ducebantur. Quis enim putat Protoparentes, quibus gignendi officium eo tempore in præcepto erat, non alios peperisse filios nongentorum annorum, quo vixerant tractu, quàm tres, quos recenset Moyses, Cain, Abel & Seth. Quibûs *Gen*: 5. enumeratis cæteros brevissimè innuit: *genuitq filios & filias. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, Anni nongenti, triginta, & mortuus est.* Audiamus Augustinum lib: 15 de Civit: Dei cap: 8. loquentem de Civitate à Caino ædificata: *Sed hoc quos movet, parum considerant, non omnes homines qui tunc esse potuerant, Scriptorem Sacræ hujus Historiæ necesse habuisse nominare, sed eos solos, quos operis suscepti ratio postulabat. Propositum quippe Scriptoris illius fuit, per quem Spiritus Sanctus id agebat, per successores certarum generationum ex uno homine propagatorum, pervenire ad Abraham, ac deinde ex ejus semine ad populum Dei.*

Restau-

Reſtaurant ultériùs argumenti vires. Civitatis fundamenta poſuit Cain, ſtatim atque natus eſt illi Henoh primogenitus, ex cujus nomine eam appellare voluit, dicit enim *Gen:* 4. Scriptura: *Cognovit autem Cain uxorem ſuam, quæ concepit & peperit Henoh*, quis autem credat Cainum, quem Annô primô poſt creatum Adam genitum eſſe nemo neſcit. Annum quingenteſimum expectâſſe ut uxorem duceret, daretq; operam liberis. Grave ſanè pondus, ſi probare poſſent Præadamitæ, quòd Henoh fuerit primogenitus Caini, ejuſq; nomine fuiſſe nuncupatam Civitatem, ut illius primogenitura celebraretur: quod utiq; non probant. Fieri proinde potuit, ut ex ejus nomine appellaretur Civitas, vel quòd eum Pater plùs cæterîs diligeret, vel ex alia cauſa nobis impervia. Neq; enim Judas Primogenitus fuit Jacob, à quo tamen & Judæa cognominata eſt, & Judæi. Neque ſequitur Henoh Caini Primogenitum fuiſſe, quod duo illa continuata narratione conjungit Moyſes. *Uxor Cain peperit Henoh*, & *Cain ædificavit Civitatem*. Sacris ſiquidem Hiſtoricis familiare eſt, res tempore diſſitas continuatè narrare, dum nihil illis occurrit medium, quod narratione ſua dignum exiſtiment. Patet id ex *Gen*: 12. ubi Thare Anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo genuiſſe *Abram*, *Nachor & Aran* recenſetur, non quòd tres filios anno uno ex una legitima Conſorte ſuſceperit, ſed quòd inter ſucceſſivas eorum generationes nihil notabile, quod ſcriptis mandâſſet, occurreret. Vide Calmet. *Comment. lit. in Gen:* Standum ergo eſt

commu-

communi Virorum eruditorum Chronologiæ, qui ædificatæ à Caino Civitatis Epocham figunt Annô mundi quingentesimô.

Neque dicant Cainum & Sethum uxores duxisse, atq; cum illis liberos procreâsse. Ergo ex alia quàm Adami stirpe uxores illæ erant, & si eas jam tunc ab Adamo progenitas poneremus, connubiô sibi jungere non poterant, lege naturæ repugnante, cujus in primis saltim capitibus nulla à Deo potest fieri relaxatio. *Neq; dicant* inquam, non repugnat enim juri naturali, quamvis Cain & Seth Sorores suas in uxores duxerint, quia ad propagationem generis humani id ipsum natura protunc postulabat; quod facta nunc propagatione detestatur & refugit. Audiamus Augustinum lib: 15. de Civit: Dei cap: 16. *Viri sorores suas acceperunt, quod profectò quantò est antiquius compellente necessitate, tantò postea factum est damnabilius religione prohibente.*

Urgent ulteriùs. Antequàm Cain Fratrem occiderit, Judices in mundo jam constitutos, erectaqué Tribunalia ad exercenda Judicia Capitalia fuisse; adeòq; multitudinem hominum ante id tempus mundum incoluisse, probat illa Dei in Cainum objurgatio: *nonne si bene egeris recipies? sin autem malè in foribus peccatum tuum aderit.* Quid enim est *peccatum in foribus adesse*, nisi peccatum ad Tribunalia causarum capitalium judicandum puniendumq; deferri? propterea quòd olim apud Judæos in foribus Civitatis pro Tribunali sederunt Judices, ut ibidem Judicia exercerent.

Unde

Unde ſunt illæ frequentes in Sacris literis loquendi formulæ *Proverb*: 31. *Nobilis in portis Vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ. Iob*: 29. *Quando procedebant ad portam Civitatis & in platea parabant Cathedram mihi. Pſal*: 126. *Non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta.* nempe in Judicio, cum ad illud ab æmulis provocabitur. Verùm & hæc futilia ſunt, jam enim ex ante dictis notum eſt, quo tempore Deus hîs verbîs objurgavit Cainum: *nonne ſi bene egeris recipies?* Annô ſcilicet poſt creatum Adamum centeſimô trigeſimô, quo magnam hominum multitudinem exiſtere potuiſſe, qui tamen ab Adamo duxiſſent originem, ſupra diximus. Deinde non eſt omninò certum, quòd Deus Cainum objurgans iîs verbîs uſus ſit, quæ ad erecta jam in portis Civitatum Tribunalia alluſerint, licèt Moyſes poſt annos ampliùs bis mille ſcribens Hiſtoriam, quo tempore in portis Civitatum Tribunalia erecta erant, ea in ore Dei Cainum objurgantis verba poſuerit, quæ ad hujuſmodi Tribunalia aliquantum alluderent, quod ex ſui jam temporis uſu eſſent; ut hoc pacto à Judæis, in quorum gratiam ſcribebat, faciliùs intelligerentur. Explicari etiam verba illa *in foribus aderit peccatum*, commodè poſſunt, ùt Targum habet: *ad oſtium cordis quieſcit peccatum*, acſi diceret: *neminem abire patrato crimine impunem, torquente animum ſynderesi, & Deo puniente criminum Authores.* Fruſtra ergo ad Tribunalia in foribus Civitatum erecta, detorquentur.

Demum contendunt ac tertium argumentum deſumunt

ſumunt ex Auguſtino lib. 16. de Civit. Dei cap. 9. qui oppoſitam nobis partem, quam *antipodam* vocant, habitari negavit, hoc potiſſimùm argumento ductus, quòd prorſus incredibile videatur, homines ab Adam in Palæſtina procreatos, in antipodam terræ partem Oceani immenſitate emenſâ, trajeciſſe, nullamq; hujus rei adeò memorabilis mentionem, vel in ſacris vel in profanis Hiſtoriis haberi: *nimis abſurdum eſt* (inquit ille) *ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immenſitate trajectâ navigare ac pervenire potuiſſe, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus conſtitueretur humanum.* Neceſſe ergo eſt conſtituere præter Adamum alium hominem Protoparentem, à quo Americani & aliæ gentes originem deduxerunt.

Nihil & hæc proficiunt. Licèt enim Auguſtinus & alii SS. PP. antipodes vel negârunt, vel dari dubitârunt, cùm probari non poſſet eorum exiſtentia, per certam Hiſtoricorum fidem, vel antiquiſſimam traditionem. At cùm Chriſtophorus Columbus Lygur, novi Orbis detector, in eam mundi partem claſſem applicuit, Chriſtiq; Fidei aditum patefecit, nemo eſt, qui antipodes neget vel eſſe dubitet. Primæ hominum ab Adam deſcendentium in Americam trajectionis, quòd neq; Sacræ neq; profanæ Hiſtoriæ memorant, quid inde? non omnia ſcriptis eſſe mandata quis non novit? Aditus in Americam eſt quidem res memorabilis, ſed neceſſe non fuit, ut poſteri Adæ illas partes niſi trajectô Oceanô occuparent. Quis enim certò ſciat, num eandem ab initio Mundi amplitudi-

nem

nem haberet Oceanus, quam translactô diluviô nactus est? Non desunt quippe, qui id negent, quiq; mare ex residuis diluvii aquis in immensum excrevisse putant. Sunt qui Americam esse Insulam Atlantidem arbitrati sunt, quam Plato scribit sitam fuisse ultra columnas Herculis, sed ab hominum aspectu postmodum evanuisse, quod etiam tradunt Proclus, Ficinus, aliiq; Platonis Interpretes. Unde factum putant, ut modò nonnisi navigiô ad antipodas iter sit, cùm antea absq; navigio vel saltim non cum tanta difficultate iter esset. Sed quocunq; se vertant Præadamitæ, hoc ipsum solvendum est ipsis argumentum, quod nobis objicitur. Permittamus enim alios, quàm ex Adamo procreatos homines Mundum istum inhabitâsse, hoc nobis concedere debent, imò concedunt, omnes homines etiam Præadamitas præter Nòé Familiam diluviô periisse aserente Scriptura: *consumptam esse omnem carnem, quæ movebatur super terram.* Necesse ergo saltim post diluuium fuit, homines ex Nòé Familia procreatos, in Regiones antipodas ex Armenia, supra cujus montes Arca consliterat, appullisse, cujus tamen memorabilis adeò rei, neq; in Sacris neq; in profanis Históriis mentio fuit.

Argumentum *4tum* ex Paulo *ad Rom: 5.* depromunt. Inquit ille. *usqué ad legem enim peccatum erat in Mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset.* Hoc loco ajunt tempus aliquod agnoscere Apostolum, quô peccatum erat, non tamen imputabatur, eò quòd nulla lex esset, qua vetaretur. Por-

ro; si res ab Adamo pensitemus; peccatum semper est imputatum, ac etiam severissimè in ipso Adamo castigatum. Ille enim è Paradiso ejectus est, Cain peccatum suum agnovit, *major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Lamech Caini abnepos post occisum adolescentulum ultionem Dei expertus, diluviô tandem universus Orbis periit, postquàm omnis caro corruperat viam suam. Ergo superiora Adamô tempora quærenda sunt lege, quam Adamo datam esse *Gen: 2do* legimus: *in quacunq; die comederis, morte morieris.* Ita, ut alius Pauli sensus esse non possit, præter istum, usqué ad legem Adamo datam peccatum erat in Mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset: extitêre ergo ante Adamum homines, qui peccarent, nec tamen peccati pænas luerent, eò quòd nulla lege obstringerentur!

At quæ necessitas quærendi superiora Adamô tempora quibus lex non esset? siquidem lex naturæ omnes, quicunq; fuerunt homines, omni tempore obligavit, juxta eundem Paulum ad *Rom: 2do. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt, hujusmodi legem non habentes, ipsi sibi lex sunt, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quidquid ergo idem Apostolus scripsit, scripsit de lege Mosaica, quæ appellata est lex per antonomasiam eò, quòd ab Adamo nulla alia lex fuit scripta, prætérquam illa, quam scripsit Moyses. Habemus ejus rei documenta ex Salvatore nostro *Mat: 5. Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas* & *cap:*

22do.

22do. *Magister quod est mandatum magnum in Lege?* & *Lucæ 16. Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem.* Dum ergo dicit Apostolus, peccatum imputatum non fuisse, quum non esset Lex illa Mosaica, de eo tantùm peccato intelligendus venit, quod naturæ instinctu vetitum non fuit, sed quòd positiva duntaxat lege, verbo, aut scripto prohibetur. Illæ enim transgressiones quamvis ante Moysen contingerent, non tamen pro peccatis habebantur, nec ullâ pænâ castigabantur, quòd nulla positiva lege prohiberentur. Quæcunq; autem ex opposito proferuntur exempla peccatorum, ante Legem Mosaicam, quæ imputata & castigata fuere, sunt exempla peccatorum, quæ ipsa naturæ lege atq; intimo conscientiæ sensu prohibentur, qualia sunt homicidia, incæstus, adulteria, idololatria & alia hujus generis.

Neq; reponant *Gen*: 2*do*. legem Adamo fuisse impositam: *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Ergo & ante Moysen erat lex aliqua, si non scripta, saltim ab ore Dei prolata. Ergo alius Apostoli sensus non est, præterquaàm, quòd usq; ad legem Adamo datam peccatum erat, sed non imputabatur, atq; adeò homines ante Adamum extitêre, qui peccarent, non tamen admissi peccati pænas luerent; quòd nulla lege obstringerentur. Nihil enim proficiunt: Legis quippe nomine non quodcunq; privatum præceptum intelligendum est, sed præceptum commune omnibus, hoc enim differt lex à præcepto, quòd præceptum privatas personas obligat, lex

verò Communitates, Gentes & populos, non solùm præsentes, sed & eorum posteros obstringit. Porro illud præceptum Adamo soli erat impositum, ita, ut eô posteri illius non obligarentur, ut sentit *Abulensis* cum aliis.

Ad extremùm profanas Gentilium jactant Historias, quibus Mundum longo temporis tractu ante Adamum extitisse probare contendunt. Etenim si Ciceroni danda est fides Lib: 1. de Divinatione. *Chaldæi atq; Ægyptii Astronomiæ scientiam longinquitate temporum innumerabilibûs penè sæculis consequuti putantur.* Lactantius lib: 7mo. Instit: cap: 14. asserit, quòd *Plato & multi alii Philosophorum, cùm ignorarent originem rerum, supremumq; illud tempus, quo mundus esset effectus, multa millia fluxisse dixerunt - sicut fortasse Chaldæi, qui ùt Cicero tradit* in Lib: de Divinatione 1mo. *Quadringenta septuaginta millia annorum monumentîs comprehensa se habere delirant:* cùm tamen Lactantius ad sua tempora *nondum sextum millesimum annum esse conclusum*, ibidem ipse testatur. Salmasius item Author gravissimus vetustioris cujusdam Historici meminit, qui triginta Dynastias, seu triginta Familias Ægyptiorum Regum suis Annalibus tradidit, easq; Familias per tres annorum Myriades perdurâsse scripsit: Myriades verô singulas computavit, millies decies millia, cum tribus annorum millibus, Plinius quoq; secundus lib: 35. naturalis Historiæ refert Ægyptios gloriari solitos, artem pingendi sex annorum millibûs in Ægypto floruisse, antequàm transiret ad Græcos.

De

De Sinensibus Julius Scaliger tradit, quòd annus, à Christo *millesimus, quingentesimus, nonagesimus quartus* quò Temporum emendationem scribebat, *apud ipsos fuerit à conditu rerum* seu à Mundi creatione *octingenties octogies millesimus septuagesimus nonus.*

Scio plerosq; Viros eruditos, ut se hoc nodo exsolverent, annos menstruos sive lunares, qui scilicet singulis mensibûs finirentur, commentos esse, atq; ea ratione interpretatos fuisse, quæ de Patriærchis in Genesi recensentur, quorum alii octingentos, alii nongentos ætatis annos, & ampliùs attigisse memorantur, quòd cùm ipsis incredibile videretur, tot annos similes nostris vixisse, menstruos proinde, hoc est mensibûs singulis comprehensos interpretari maluerint. Verùm nec ii se vinculo extricant: nam licet annos menstruos admitteremus, Ægyptiorum Myriades tam multas, & tot annis computatas, nunquam à creatione Adami colligeremus. Constat porro Patriarcharum annos nequaquam menstruos, sed 12. Mensibûs computatos extitisse, ex Historia Nòé *Gen:* 7. ubi Diluvium annô sexcentesimô vitæ Nòé contigisse, Arcam verò requievisse super montes Armeniæ mense septimo, die 27. Mensis, aquas autem decrevisse usq; ad mensem decimum, quæ sanè perperam notarentur in sacris litteris, nisi anni Nòé non secus ac nostri 12. Mensibûs constarent, quilibet autem mensis diebus circiter triginta. Hos ipsos primorum Patriarcharum annos non lunares sed solares, prout sunt nostri, exinde adhuc constat, quòd eorum aliqui filios genu-

os genuisse legantur *Gen*: *cap*: 5. annô vitæ sexagesimô quintô ùt Malaleel, & annô septuagesimô ùt Cainan, hæc autem quis de annis lunaribus dicta contendat? quasi verò mense vitæ suæ sexagesimô quintô aut septuagesimô, hoc est annô solari circiter quintô, vel septimô generationi habilis esse quis possit.

Nullius ergo momenti omnia censeo, hæc quæ ex profanis adducuntur Historiis: etenim ipsi intra se de antiquitate Gentium non consentiunt Scriptores, neq; enim cum Alexandro Polysthore Plinius, neque cum Quinto Curtio Justinus, neq; cum Herodoto Plato, neq; cum Cicerone Vellejus Paterculus mutuò conveniunt. Erroris hujus fontem fuisse arbitror Gentium opinionem ex Philosophorum suorum libris acceptam, quod videlicet Mundum æternum existimarent, semperq; fuisse certò crederent; unde tantam Imperiorum suorum antiquitatem fingere pro sua vanitate potuerunt. Quare satiùs est cum Julio Africano, Eusebio & Augustino hæc omnia putidis fabulis accensere. Altera ratio est, quòd Imperia Gentium originem suam ducant à Nòémi Posteris, ùt sacræ litteræ testantur, quas Præadamitæ se venerari profitentur, Peyrerius quidem diluvium Nòé solùm in Judæa contigisse commentus est, fuisse tamen universale dubitari non potest, *Gen*: quippe 7. legimus, aquas nimiò prævaluisse super terram, & opertos omnes montes excelsos sub universo Cælo; consumptam omnem carnem quæ movebatur super terram, bestias, reptilia, homines & cuncta, in quibus est spi-

raculum

raculum vitæ: solùm Nòé in terra remansisse, cum iis, qui cum eo erant in Arca. Præterea hujus Diluvii famam pervenisse ad omnes Orbis nationes, probat ex Beroso Josephus lib: 10. antiquit: cap: 4. & adversùs Julianum 1. ex Abydeno & Alexandro Polysthore S. Cyrillus, multaq; legi poterunt apud Georgium Schubartum tom: 10. antiquit: Græc: Hinc etiam nata est fabula diluvii Deucalionis & Ogygis, quam Græci, Ægyptii, aliæq; Gentes Diis suis accomodare studuerunt.

Diluvium tamen Deucalionis non differre à Nòético, hæc momenta demonstrant. Apollodorus sub initium Bibliothecæ ait: *Ubi Prolem æneam tollendam Iupiter censuit, Deucalion fabrefacta è lignis arcâ, rebûs necessariis impositis in eam ingressus est.* Quis verò Prolem æneam non videt esse Gigantes, de quibus *Gen: 6.* & Arcam Deucalionis, Arcam Nòéticam, Lucianus de Dea Sytia, Deucalioni tres Filios tribuit, quos natos ex Nòé legimus *Gen: 10.* Plutarchus scribit: *Deucalioni columbam ex arca missam fluctuum detulisse certum indicium*, quod habetur *Gen: 8.* Egressum de arca Deucalionem posuisse altaria tradidit Lucianus, quod fecit & Nòé *cit: cap: 8.* In vertice montis sedisse arcam Deucalionis scribit Ovidius lib: 1. Metam

Hic ubi Deucalion, nam cætera texerat æquor,
Cum consorte tori parva rate vectus adhæsit.

Arcam etiam Nòé requievisse super montes Armeniæ ibidem legimus. Igitur rectè Philo in Libro de Præ-

miis

miis scripsit, *hunc Deucalionem Græci, Nòé verò Chaldæi appellant*. Periisse deniq; homines universos diluviô Deucalionis scribunt Herodotus in Euterpe, Lucianus in Timone, aliiq; apud Schubartum. Diluvium ergo Nòé & Diluvium Deucalionis unum est, illudq; universale.

Idem dicendum est de Ogyge, cujus diluvium refert ad annum ante primam Olympiadem millesimum & vicesimum Julius Africanus & Eusebius. Etenim & hæc fabula orta est ex diluvio Nòético, Ogygen siquidem alii faciunt filium Neptuni, ùt Joannes Meursius in opere, quod inscribitur Regnum Atticum, alii Bæoti. Neptuni filium & Arnæ appellant, Isaacius Tzerzs, Nicocrates & Euphorio, apud Stephanum Byzantinum *in lib: de Urb.* Quadrat & nomen ab aquis derivatum, unde Oceanus etiam dicitur *Ogen* vel *Ogenus*. Bæotum tradunt filium esse Deucalionis, Neptunus ergo & Deucalio idem est Ogygis sive Bæoti genitor. Quidam Neptunum existimant Japhetum Filium Nòé, cui obtigerunt Insulæ Mediterranei, & continens Europæa, ubi ad transmittendum mare & iter terrestre conficiendum, necessarium duxit nauticam instituere. Ogyges igitur fuit vel Japheti Filius, vel alter Noachida naufragio superstes.

Ludant ergo quamcunque aleam volunt Præadamitæ ut imaginarium & fanaticum Systema suum restabiliant, nullum hominum genus creationem Adami præcessisse, omnes quotquot fuerint sive Judæi, sive

ſive gentiles, ad Adamo uſque ad diluvium Nòé deſcendiſſe, poſt dilivium per Nòé filios & nepotes multiplicatos, Gentibus, Imperiis initia dediſſe, tum ex Sacris tum ex profanis Hiſtoriis convincuntur. *Major eſt S. Scripturæ auctoritas, quàm omnis humani ingenii perſpicacia,* inquit S. Auguſtinus lib: 15. in Gen. ad lit: in omnibus quæ Scriptura per modum narrationis hiſtoricè tradit, eſt pro fundamento tenenda veritas Hiſtoriæ, docet S. Tho: 1. *p. q. 102. a. 1. in Corp:* Peyrerii & ſuorum Sectatorum ſomnia, argutiæ, imo (ut veriùs dicam ineptiæ) faceſſant! Perpetua traditione & communi Sanctorum Eccleſiæ Patrum ſenſu, Adamum totius generis humani Patrem accepimus, unius Novatoris, alterum Judæorum, alterum Gentilium mentientis inventum, Iſaaci ſequaces ampliùs venditare erubeſcant Audiant Auguſtinum tract: 9no in Joannem: *Adam & Eva Parentes omnium gentium erant, non tantùm Iudæorum: & quidquid figurabatur in Adam de Chriſto, ad omnes itaque gentes pertinebat, quibus ſalus eſt in Chriſto,* & obmuteſcant,

a będziesz zbawioną, miéj wiarę | cza córki, ale ucho mał

...eszyć stroskaną, z bojaźni
, zapewnienie dając, iż do
ie, od nikogo nie nagaba-
awać będzie.
izbie» mówił do niéj «a je-
k, módl się do Pana Jezu-
l, i proś Pana Boga, aże-
mazał s twarzy, lica twoje
bo twarz twoja wodzi na
h; bo krasa twoja zgubą
téj izbie; biada tobie, jeżeli
róg przestąpisz, i do przy-
ietlicy. Biada tobie powta-
tém, w téj izbie, w téj przy-
jest niedźwiedzica któraby
odzinie
ia wio-
Pamię-
nie waż
śmierć
, módl
tko, ja
omica,
litości-
vczyn-
ka pię-
sposo-
zwie-
hłopa-
w go-
rwaną
aże Zy-
edzicę,
która przy nim ligała jako jeden komornik, wchadzała i wychadzała, kiedy chciała od niego .

świéć jéj duszy!» —

Zerwawszy się s posłania, byżym
bieżał na powrót do izby, w któréj
Olenkę.

Kury już grały na jutrznią, a jeszc
mno było; w chacie Klieliny, nad łożem
ruszki stał mnich Franciszkanin. Bla
latarki, którą trzymał w ręku, bi na
jego żółtą, jak wosk, i na długą biała
W tyle za mnichem stał człowiek
w odzieży mieszczańskiéj.

Mnich nie odwracając oka od staru
chylił się ku niéj, i podał leżącéj kul
wiąc: — «Kobiéto! przyjmij ten n
daje, a da tobie zdrowia, i życia da.»

«Na co mnie biédnéj zdrowia, i ż
co» — słabym głosem odrzekła Kl
» Olenka była życiem mojém i zdrow
jém; wzięli ją, wzięli źli ludzie. O
Litwy! śpuście śmierć na mnie, a pi
ich głowy; Bogowie Litwy wys
mię!»

Na posłyszane te słowa staruszki
néj z letargu mnich odskoczył od łoża
wypadła mu z ręki i zagasła.

«Niewiasto!» zawołał głosem g
» ty bluźnisz Bogu Chrystusowi i Ma
ty wzywasz bałwanów, których za
Litwin, a Wielki Jagiełło obalił i po
Niewiasto! jeżeliś poganką nie oc
jeszcze, biada tobie, biada.» —

«Biada mojéj Olence!» — odrzek
» wierzyła nowym Bogom, Bogow
zesłali na nią karę, i na mnie, biédna
ta! biédna!» —

«W imię Jezusa Chrystusa!»
mnich. — «Ja żegnam ciebie znakie
świętego, uwierz w jedynego Bog



Ur. Szczurowskiemu

42. Szczurowskiemu
~~36~~

260 Szczurowskiemu Szczurowskiemu

42. Wszystko przydzie Wyrominicie Szczurow
16

426. ad Kaira ad Kaira

442. Wszystko przydzie Wyrominicie

462/+ Wszystko przydzie Wyrominicie
3 0

4. ad Kaira ad Kaira ad Kaira

420/14. Ach Kaira ad Kaira

5.
4. 12.

9. 14.

4. ad Kaira ad Kaira

42 42 ad Kaira ad Kaira
10

42 0/14
32

...szystko Wszystko 3

a będziesz zbawiona, miéj wiarę | cza córki, ale ucho malk

...ieszyć stroskaną, z bojaźni
..., zapewnienie dając, iż do
...ie, od nikogo nie nagaba-
...awać będzie.
...izbie» mówił do niéj «a je-
...k, módl się do Pana Jezu-
...l, i proś Pana Boga, aże-
...nazał s twarzy, lica twoje
...bo twarz twoja wodzi na
...h; bo krasa twoja zgubą
...téj izbie; biada tobie, jeżeli
...róg przestąpisz, i do przy-
...ietlicy. Biada tobie powta-
...tém, w téj izbie, w téj przy-
jest niedźwiedzica któraby
...odzinie
...ia wio-
...Pamię-
...ie waż
...śmierć
..., módl
...tko, ja
...omica,
...litości-
...wczyn-
...a pię-
...sposo-
... zwie-
...hłopa-
...w go-
...rwaną
...aże Zy-
...edzicę,
która przy nim ligała jako jeden komornik, wchadzała i wychadzała, kiedy chciała od niego.

świéć jéj duszy!» —

Zerwawszy się s posłania, byżym bieżał na powrót do izby, w któréj Olenkę.

Kury już grały na jutrznią, a jesz... mno było; w chacie Kliełny, nad łożem ruszki stał mnich Franciszkanin. Bl... latarki, którą trzymał w ręku, b... na jego żółtą, jak wosk, i na długą biała W tyle za mnichem stał człowiek w odzieży mieszczańskiéj.

Mnich nie odwracając oka od staru... chylił się ku niéj, i podał leżącéj kul... wiąc: — «Kobiéto! przyjmij ten n... daje, a da tobie zdrowia, i życia da.»

«Na co mnie biédnéj zdrowia, i ż... co» — słabym głosem odrzekła Kl... » Olenka była życiem mojém i zdrow... jém; wzięli ją, wzięli źli ludzie. O ... Litwy! spuście śmierć na mnie, a pi... ich głowy; Bogowie Litwy wys... mię!»

Na posłyszane te słowa staruszki... néj z letargu mnich odskoczył od łoża wypadła mu z ręki i zagasła.

«Niewiasto!» zawołał głosem g... » ty bluźnisz Bogu Chrystusowi i Ma... ty wzywasz bałwanów, których za... Litwin, a Wielki Jagiełło obalił i po... Niewiasto! jeżeliś poganką nie oc... jeszcze, biada tobie, biada.» —

«Biada mojéj Olence!» — odrzek... » wierzyła nowym Bogom, Bogow... zesłali na nią karę, i na mnie, biédna... ta! biédna!» —

«W imię Jezusa Chrystusa!» ... mnich. — «Ja żegnam ciebie znakiem świętego, uwiérz w jedynego Bog...